

**CONSTITUTIONES
CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM
qui vocantur
FILII IMMACULATI CORDIS BEATAE MARIAE VIRGINIS
— MISSIONARI CLARETIANI —**

a Capitulo Generali XIX accommodatae
et a Sancta Sede approbatae

Romae 1982



SACRA CONGREGAZIONE
PER I RELIGIOSI
E GLI ISTITUTI SECOLARI

Prot. n. V. 15-1/79

D E C R E T U M

Congregatio Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, a Sancto Antonio Maria Claret instituta et cuius domus princeps in hac alma Urbe exstat, finem habet in omnibus Dei gloriam, sodalium suorum sanctificationem totiusque mundi animarum salutem quaerere.

Concilii Vaticanani Secundi normis aliisque Ecclesiae ordinationibus inhaerens, diurno diligentique studio novum Constitutionum textum concinnavit, quem supremus Congregationis Moderator, optato obsecundans Capituli Generalis, Sanctae Sedi proposuit, submisso rogans ut confirmaretur.

Hoc igitur Sacrum Dicasterium pro Religiosis et Institutis saecularibus, postquam textum allatum peculiari subiecit examini Consultorum, considerat voto Congressus, omnibus mature perennis, vi praesentis Decreti, illum approbat et confirmat cum mutationibus ab eodem Congressu statutis, iuxta exemplar idiomate latino redactum et in suo Tabulario asservatum, servatis de iure servandis.

Confidimus fore ut Missionarii Filii Cordis Beatae Mariae Virginis harum Constitutionum praescriptis fideliter obsecuti missio nem ipsis ab Ecclesia concreditam promptiore usque animo adimpleant et Christibonum nuntium in toto mundo diffundant, Deipara semper Virgine Maria auxiliante.

Datum Romae, die 11 Februarii, in Festo Beatae Mariae Virginis de Lourdes, anno 1982.

E. Card. Sinorius, pref.

+ A. Mayr

leu.

CONSTITUTIONES APPROBATAE
UNIVERSAE CONGREGATIONI
A PATRE GENERALI PROPONUNTUR

Singularis gaudii causa est nobis Constitutiones nostrae Congregationis — quae secundum Concilii Vaticani II normas renovatae sunt et nunc tandem a Sede Apostolica sunt approbatae — omnibus Missionariis Filiis Immaculati Cordis Mariae proponere.

Quod gaudium oritur, in primis, ex eo quod longum temporis spatium impensae deliberationis et accuratae elaborationis — in quam universum Institutum operam contulit — cumulatum est, atque ex eo quod exoptata et proposita ab ultimis Capitulis Generalibus expressa, ad exitum tandem adducta sunt. Sed primaria intimi gaudii ratio in eo constat quod comprobare possumus familiam nostram religiosam ex plena Ecclesiae vita vivere: quam ex dono Spiritus ad populum Dei vivit, atque ideo ut donum nunc aperte ab Ecclesia iterum agnoscitur.

His Constitutionibus exprimitur modus quo coetus eorum qui ad Congregationem vocati sunt in consilium misericordiae et salvationis, a Christo Domino datae, inseruntur. Quam ob rem sunt nostra lex vitae: ac simul fons perennis renovationis huius vitae.

Hanc vitae regulam docilitate evangelica suscipiamus, quae, nisi ex ipso Evangelio, sensu carebit. In hanc regulam — quasi in punctum destinatum — omnes conatus nostri convertantur atque ut in momentum communionis omnium votorum nostrorum. Sit haec regula verbum quo coniungamur, non quo dividamur; sit stimulus quo ferreat caritas, non quo proprias sin-

gulorum partes defendamus; sit norma ad apostolos conformandos secundum spiritum Sancti Antonii Mariae Claret, qui in proposito vitae et missionis coniunguntur ad Dei gloriam, sodalium sanctificationem et hominum totius mundi salutem.

Hae Constitutiones, ex Decreto Sacrae Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus — dato die 11 mensis februarii anno 1982 — ex hoc temporis puncto in Congregatione plene vident: quae ut facilius cognoscantur ac de his vivamus — praeter hanc editionem textus latini — curandum est ut quam primum convertantur in linguis vernaculae quae in usu sunt in Congregatione.

Superiores vehementer rogantur ut omni opere contendant ut hae Constitutiones ab omnibus Missionariis cognoscantur, magni aestimentur, in usum deducantur.

Beata Virgine Maria intercedente, ex suo Corde Immaculato, Dominum deprecamur ut hoc vitae semen in multos fructus sanctificationis et actionis missionariae filiorum Congregationis abeat copiose.

Dedimus Romae, die 13 m. februarii, a. 1982.

GUSTAVUS ALONSO, C. M. F.
Superior Generalis

CONSTITUTIONES

CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM

qui vocantur

FILII IMMACULATI CORDIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

— MISSIONARI CLARETIANI —

CONSTITUTIO FUNDAMENTALIS

1. Congregatio nostra Missionariorum a Sancto Antonio Maria Claret, Archiepiscopo, Vici in Hispania, die 16 mensis iulii anno 1849 condita est et a Pio IX die 22 mensis decembris anno 1865 approbata. Filii Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis seu Missionarii Claretiani appellamur.
2. Obiectum nostrae Congregationis est in omnibus Dei gloriam, sodalium suorum sanctificationem atque hominum totius mundi salutem quaerere, iuxta charisma nostrum missionarium in Ecclesia.
3. Dominus noster Iesus Christus, a Patre missus (1) et de Spiritu Sancto homo factus ex Maria Virgine (2), ab

(1) cfr. Jn 3, 16-17; 17,3.

(2) cfr. Mt 1,20; Gal 4,4.

eodem Spiritu unctus est ut evangelizaret pauperibus (3). Iis quae Patris sunt plene deditus (4), evangelium regni praedicavit (5).

Ad hoc opus salutis sibi homines associare volens, vocavit ad se quos voluit Ipse, et fecit ut essent duodecim apud se et misit eos praedicare (6). Cum autem opus redemptionis nostrae in se Ipso complevisset, Ecclesiam tamquam universale salutis sacramentum fundavit ac misit Apostolos et alios ut testimonium resurrectionis redderent (7).

Horum nonnulli, sub ductu Spiritus Sancti, illud genus vitae, quod Iesus sibi elegerat, in Ecclesia repraesentare coeperunt, evangelicam reddentes testificationem.

4. Nobis etiam, Filiis Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, instar Apostolorum vocatis, donum concessum est ut in communione vitae Christum sequamur et, eentes in mundum universum, omni creaturae evangelium praedicemus (8).

Sequela igitur Christi, in evangelio proposita, suprema nobis regula est. Ideo omni docilitate audimus verbum quo Dominus discipulos ad perfectionem Patris vocat (9), praeceptum caritatis fraternae promulgat (10), orationem commendat, regulas vitae apostolicae praebet atque pauperes spiritu, lugentes, mites, esurientes sitientesque iustitiam, misericordes, mundos corde, pacificos et perse-

(3) cfr. Lc 4,18; Is 61, 1-2.

(4) cfr. Lc 2,49.

(5) cfr. Mt 4,23; 9,35; Mc 1,14.

(6) Mc 3, 13-14.

(7) cfr. 1Cor 15, 13-15; Act 2,32; 4,2.

(8) cfr. Mc 16,15.

(9) cfr. Mt 5,48; Lc 6,36.

(10) cfr. Jn 13, 14-17; 13, 34-35.

cutionem propter iustitiam patientes et maledictos propter se beatitudinis suaee particeps proclamat (11).

5. Huic divinae vocationi respondentes, formam vitae Iesu, quam Virgo Maria fide amplexa est, nostram facimus. Itaque, in Ecclesia repraesentare intendimus Christi virginitatem, paupertatem et oboedientiam in praedicatione evangelii. Per professionem publicam votorum nos Deo devovemus et ab Eo consecramur, Institutum in Ecclesia constituentes vere et plene apostolicum.
6. In Ecclesia fortis Pastorum adiutores erimus in ministerio verbi, adhibentes omnia media nobis possibilia ad evangelium regni per totum orbem dilatandum. Summo Pastori dilectionem et oboedientiam, etiam vi voti, profitemur in bonum totius Corporis Christi. In communione cum Episcopis et sub eorum ductu aedificationi et incremento Ecclesiae servire intendimus.
7. Eiusdem vocationis participes, Congregationem constituimus presbyteri, diaconi, fratres atque scholastici. Qui omnes in eadem communitate congregamur, eandem missionem adimplemus et secundum donum proprii ordinis et peculiare in Congregatione munus, iisdem iuribus et officiis communicamus quae ex religiosa professione promanant.
Donum apostolicum acceperunt et alii qui vario modo nostrae Congregationi communicant.
8. Congregationis fundatio interventui Beatae Mariae Virginis tribuitur, quam sub titulo Immaculati Cordis Patronam habemus. Cum Filii Cordis eius nominemur et simus, eam amore et fiducia prosequimur. Eique nos tradimus ut mysterio Christi conformemur et ut materno eius muneri cooperemur in missione apostolica.

(11) cfr. Mt 5, 1-12; Lc 6, 20-23.

9. Missionarii formam p^rae oculis semper habeamus oportet:
« Filius Immaculati Cordis Mariae vir est qui caritate
flagrat et, quacumque transit, comburit. Qui efficaciter
cupid omnibusque mediis curat omnes homines igne di-
vini amoris accendere. Nulla re deterretur; gaudet in
privationibus; aggreditur labores; amplectitur aerumnas;
in calumniis oblectatur; laetatur in tormentis et doloribus
quos patitur et in cruce Iesu Christi gloriatur (12). Nihil
aliud cogitat nisi quo modo Christum sequatur et imite-
tur deprecando, laborando, sustinendo, maximam Dei glo-
riam et salutem hominum semper ac solummodo curando».

Pars Prima

DE VITA MISSIONARIA CONGREGATIONIS

(12) cfr. Gal 6,14.

Caput I. - DE COMMUNITATE MISSIONARIA

10. Sicut Iesus Christus unum cum Patre et Spiritu est, ita et nos missionarii unum in Ipsiis esse debemus ut mundus credat in Christum (13). Communionem vitae Apostolorum cum Christo et primaevam Ecclesiam christifidelium imitemur quibus cor unum et anima una erat (14).
Caritas, cum in Deum tum in fratres (15), in cordibus nostris diffusa est per Spiritum Sanctum (16) et communionem nostram aedificat. Donum est primum et maxime necessarium quo signamur veri Christi discipuli. Tota ergo nostra vita missionaria hac caritate regitur atque informatur.
11. Ex assumpta communi vocatione, Congregatio nostra universos sodales et omnes communites amplectitur. Unusquisque tamen nostrum, dum promptam illam voluntatem habet quae condicioni universalis Congregationis propria est, in communitate locali ex vita familiari et ministerio cum fratribus consociatur.
12. Vita fraterna maxime significatur et perficitur in Eucharistia, quae est signum unitatis et vinculum caritatis (17). Communi etiam oratione, praesertim litur-

(13) cfr. Jn 10,30; 17, 20-22

(14) cfr. Act 4,32.

(15) cfr. Mc 12, 29-31.

(16) cfr. Rom 5,5

(17) cfr. 1Cor 10, 16-17.

- gica, fraternitas nostra nutritur; tenore vitae familiaris, quo omnes sincero et aperto animo convivimus, fove-
tur; participatione etiam in communitatem regendam atque ordinandam exprimitur. His omnibus roborati, in communitate missionaria plenitudinem personalem, ad quam vocati sumus, consequi intendimus.
13. Collaboratio in ministerio verbi ad originem ipsam nostrae vitae communis pertinet. Missionem tamen com-
munitatis variis modis participamus, sive nonnullorum sodalium in uno opere consociatione, sive in munere singulis a communitate commisso, sive pro Ecclesia orando atque patiendo. Ministerium ergo singulis tra-
ditum ita exsequendum est ut omnes eiusdem participes nos sentiamus, ac vicissim etiam singuli tamquam opus a communitate susceptum illud adimpleamus.
14. Haec nostra communitas primigenium donum in servitium Ecclesiae et mundi explicare debet, ita ut in condicionibus et necessitatibus Ecclesiae particularis et mundi circumstantis vere inseratur in modo sive vitam agendi, sive ministerium exercendi.
15. Tamquam Dei imagines (18) et membra unius corpo-
ris (19) mutuo nos diligamus oportet, adimplentes man-
datum Domini: « Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos » (20). Haec fraterna dilectio exercitium omnium virtutum secum fert: « Caritas enim patiens est, benigna est. Caritas non aemulatur, non agit superbe, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet veritati; omnia

(18) cfr. 1Cor 11,7; 15,49; Col 3, 10.

(19) cfr. Eph 5,30.

(20) Jn 15, 12.

suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia susti-
net » (21). Simus ergo inter nos solliciti, alter alterius onera portantes (22).

16. In aedificationem communitatis omnes et singuli iugiter collaboremus. Verbis semper humilitate et caritate pleni-
nis utamur. Nolimus ergo amicitiam laedere, discordias seminare, inter nos contendere, de re aliqua murmurare. Fratres numquam iudicemus, quia iudex unus est Do-
minus (23), neque de eis suspicare audeamus. Inten-
tionem excusemus, etsi opus excusare non possimus. Sciamus generoso animo omnibus indulgere, si quis ad-
versus aliquem habet querelam.
17. Cum fratribus qui diversi originis, aetatis, culturae vel opinionis sunt, servemus unitatem spiritus in vinculo pacis (24). In divisione autem gratiarum et ministracionum utamur libertate secundum donum quod acce-
pimus ab uno eodemque Spiritu ad omnium utili-
tatem (25). Sodales qui domum adveniunt fraterno recipiamus amore (26). Advenientes nos ipsi in aliam domum pacem Domini in ipsam feramus (27).
18. Proiectos aetate aut qui vitam in Dei servitium con-
sumperunt, amore et reverentia prosequamur eorumque experientia ditari cupiamus (28). Ipsi vero de perpetua

(21) 1Cor 13, 4-7.

(22) cfr. 1Cor 12,25; Gal 6,2.

(23) cfr. 1Cor 4,4.

(24) cfr. Eph 4,3.

(25) cfr. 1Cor 12,7.

(26) cfr. Mt 10, 40-42; Heb 13,2.

(27) cfr. Lc 10,5.

(28) cfr. Eccli 3,14; Prov 15,5.

iuventute cordis (29) testimonium praebere semper current.

Fratres aegritudine affectos, utpote membra Christi patientis, omnes speciali diligamus modo, libenter eos visitantes atque adiuvantes (30).

19. Cum aliquis missionarius defunctus sit, eius exsequiae fiant pietate, fraterna caritate ac simplicitate. Fratres, qui nos praecesserunt in servitio evangelii, Domino prescriptis suffragiis, commendemus maxime in celebratione eucharistica.

Eandem pietatem erga parentes atque Congregationis collaboratores defunctos habeamus.

Caput II. - DE CASTITATE

20. Ad imitationem Iesu Christi, qui, verbis et praesertim vitae testimonio, castitatem propter regnum caelorum proponit (31), et ad exemplum Virginis Mariae (32), etiam nos hanc castitatem tamquam donum amplectimur (33) ut toto corde iis quae Patris sunt nos devoveamus (34). Dono enim huius castitatis, Dominus Iesus virtutem gloriae suae in fragilitate nostrae carnis manifestat ut omnes ad spem vitae futurae erigat (35).

21. Castitas, quam nos profitemur, novam communionem fraternalm in Christo fovet; communitatem aedificat,

(29) cfr. 2Cor 4,16.

(30) cfr. Mt 25,32, 36, 39.

(31) cfr. Mt 19, 11-12.

(32) cfr. Lc 1, 34-37.

(33) cfr. 1Cor 7,7.

(34) cfr. 1Cor 7, 32-35

(35) cfr. Mt 19,29; Lc 20,35-38.

quae non in carne vel sanguine sed in voluntate Dei fundatur (36). Ut signum amoris perfecti, peculiaris fons spiritualis fecunditatis (37) in mundo evadit; ideo singuli modo nos liberat ut caritate erga Deum et homines universos accendamur; animum nostrum roborat ad collectandum adversus potestates maligni in ministerio apostolico (38).

22. Castitatem igitur tamquam donum divinum amemus, eam laeto animo accipiamus et diligentissime colamus. Vi nostrae professionis nos adstringimus ad servandum caelibatum, et, novo titulo, id est voti, ad castitatem caelibatus propriam.

Cum huius castitatis observantia profundiores nostrae naturae inclinationes attingat et nonnullas renuntiationes nobis imponat (39), Domino credamus eiusque auxilium humili oratione petamus. Vitam communem foveamus, quia vera dilectio fraterna castitatem servat ac perficit.

De propriis viribus non praesumentes, pericula instinctu quodam spirituali vitemus. Subsidia ad hoc opportuna adhibeamus, ut sunt labor assiduus, pastoralis prudencia, sanitatis cura mentis et corporis.

(36) cfr. Jn 1, 13.

(37) cfr. 1Cor 4,15.

(38) cfr. Eph 6,12.

(39) cfr. Lc 14,26; 18, 29-30.

Caput III. - DE PAUPERTATE

23. Ad imitationem Iesu Christi evangelicam paupertatem profitemur. Ipse, cum esset dives, pro nobis egenus factus est ut nos divites essemus (40). Evangelizans regnum, non habebat ubi reclinaret caput suum (41). Hanc eius paupertatem, necnon exemplum Beatae Mariae Virginis, quae inter pauperes Domini praecellit (42), per professionem participamus et ad instar Apostolorum, qui relictis omnibus secuti sunt Dominum (43), futuri saeculi bona in memoriam hominum revocamus.
24. Totam fiduciam in Domino habentes, minime vero in dominatione et divitiis, regnum Dei quod pauperum est (44) ante omnia quaerimus (45). Paupertas voluntaria communitatem fraternalm in unitate cordis et animae aedificat. In communione bonorum, sive materialium sive spiritualium, cum pauperibus et in eorum servitio exprimitur.
25. Paupertas nostra est apostolica (46), ita ut nostra vita et actio spiritu paupertatis informentur. Formae autem paupertatis vitae nostre missionariae vere respondeant et signum evangelii, tam personale quam communarium, constituant. Ideo Congregatio et communitates nostre, ratione habita singulorum locorum, testimonium paupertatis collectivum reddere satagent: omni specie luxus et immoderati lucri atque bonorum cumu-

(40) cfr. 2Cor 8,9.

(41) cfr. Lc 9,58.

(42) cfr. Lc 1, 48-55.

(43) cfr. Lc 5,11.

(44) cfr. Mt 5,3.

(45) cfr. Phil 3,8.

(46) cfr. Mt 10, 7-10; Mc 6, 7-9.

latione vitatis, supellex, victus ac vestes pauperibus sint accommodata. Bona nostra semper prompta habeamus pro aliis, praesertim ad nostrae Congregationis et Populi Dei necessitates.

26. Missionarii nostri intendant ut re et spiritu vere pauperes sint. Nihil contra professionem paupertatis retineant aut sibi acquirant, nullaque re utantur tamquam propria (47). Legi communi laboris se sentiant obnoxios (48), pauperum condicionem participantes. Neque sacra ministeria ob spem mercedis suscipiant (49). Gaudent cum aliquos effectus paupertatis experiantur, non dubitando de providentia Illius qui dixit: « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius et haec omnia adiicientur vobis » (50). Ad religiosam paupertatem fovendam, sodalibus perpetuo professis a legitimo superiore concedi potest ut bonis patrimonialibus libere renuntient ad normam iuris.
27. Voto paupertatis sodales Congregationis iuri suo disponendi bonorum temporalium renuntiant iisque utendi sine permisso superiorum.
Ante primam professionem, suorum bonorum administrationem, usum et usufructum cedant cui maluerint. Ante professionem perpetuam, testamentum civile de bonis praesentibus aut forte obventuris libere condant. Nullum actum proprietatis, sive circa bona quorum dominium radicale conservant, sive circa acceptationem bonorum quae ipsis post professionem quoquo modo obveniant, facere eis licet sine superiorum licentia.

(47) cfr. Act 2,44; 4,32.

(48) cfr. 2Thes 3, 7-14; 1Cor 4,12.

(49) cfr. 1Cor 9, 15-18; 2Cor 11, 7-15; 12,13.

(50) Lc 12,31.

Caput IV. - DE OBOEDIENTIA

28. Ad imitationem Iesu Christi qui missus est ut faceret voluntatem Patris (51) et ad exemplum Mariae Virginis quae semetipsam ut Domini ancillam (52) personae et operi Filii se totaliter devovit, etiam nos, Spiritu Sancto movente, voluntatem Patris in Congregatione nostra adimplere intendimus.

Per professionem oboedientiae Deo offerimus liberam facultatem disponendi nostram vitam, et voto nos adstrin-gimus ad oboediendum praeceptum legitimi superioris in iis quae pertinent directe vel indirecte ad vitam Instituti, hoc est, ad missionem nostram assequendam et ad observantiam votorum et Constitutionum. Iesu Christo, qui factus est pro nobis oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis (53), conformamur et in omnibus divinae voluntati salvificae unimur.

29. Cum in oboedientia verus missionarius agnoscatur, omnes eiusdem vocationis participes, voluntatem Dei noscere et facere coniunctim quaerimus ut communem missionem in Ecclesia in diversis temporum, locorum ac personarum adjunctis adimplere possimus. In ea quaerenda et exsequenda omnes tenemur auxilium fratribus praestare oratione, consilio atque colloquio fraterno.

30. Unitas caritatis et missionis communitatum in superioribus nostris visibiliter exprimitur. Hi ergo voluntatem Patris ante omnia querant (54) ac deinde aliis pro-

(51) cfr. Jn 4,34; 5,30; Heb 10,7.

(52) cfr. Lc 1,38.

(53) cfr. Phil 2,8.

(54) cfr. Jn 5,30.

ponant. Superiores libenter sodales audiant atque eorum conspirationem ad bonum Congregationis et Ecclesiae promoveant, firma tamen sua auctoritate decernendi et praecipiendi quae agenda sunt. Auctoritatem ad normam Constitutionum et in spiritu servitii exerceant, animam suam pro fratribus ponentes (55).

31. Missionarii assuescant Domino oboedire amore impulsi, prompte et perfecte, sese subientes hominibus propter Ipsum (56).

Quae a superioribus decreta sint ne impugnant, sed potius tueantur; quod si contra ea sibi visum erit aliqua in Domino proponere, id libere faciant, semper tamen Deo antea consulto et animo ad acquiescendum praeparato iis quae decidantur. In decreti executione et in expletione munierum sibi commissorum vires personales conferant.

32. Hac animi dispositione missionarii expediti erunt ut mitti possint quocumque terrarum et prompti ad quaelibet ministeria, quae ipsis a Congregatione per superiores committantur.

Caput V. - DE ORATIONE

33. Qui opus Christi missionarium accepimus, etiam Ipsum assidue orantem (57) imitari debemus, Eumque orationem sine intermissione (58) commendantem et docentem (59) audire.

(55) cfr. Mt 20,28; 1Jn 3,16.

(56) cfr. 1Pet 2,13.

(57) cfr. Lc 6,12; Mc 1,35.

(58) cfr. Lc 21,26.

(59) cfr. Lc 11, 1-13.

34. Ideo colamus oportet spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: « Abba, Pater » (60). Lumine fidei ducti, in omni eventu signa voluntatis Eius quaeramus et ita missione nostrae dociliores in dies efficiemur.

Verba Domini quae nuntiare debemus, prius assidua contemplatione audiamus (61), etiam cum fratribus communicemus, ut nosmetipsi ad evangelium convertamur et Christo configuremur atque Eius caritate inflammemur quae nos urgere debet (62). Denique ad Deum pro Ecclesia et mundi vita precibus et supplicationibus intercedamus (63).

35. Imprimis Eucharistiae mysterium toto animo celebremus cotidie, Christo Domino adhaerentes qui vitae verba proclamat, Seipsum pro fratribus offert atque Patrem honorat et unitatem Ecclesiae aedificat. Colloquium cum Christo Domino in visitatione et cultus Sanctissimae Eucharistiae nobis cordi sit. Orationem nomine Ecclesiae cotidie fideliter persolvamus.

Temporibus sacris et diebus festis spiritui Ecclesiae orationem accommodare curemus, quae in liturgia totum Christi mysterium fidelibus contemplandum proponit. Ex Eucharistiae celebratione atque Dei laude virtutem accipiemus qua nostra vita in Christo crescat atque ministerium nostrum fecundius evadat.

Cultui Ecclesiae caelestis maxime iungimur communantes et memoriam venerantes imprimis Beatae Mariae Virginis, sed et Beati Ioseph, Sancti Michaëlis et omnium Angelorum, Apostolorum aliorumque Sanctorum qui suo spiritu vere missionario, nobis ex traditione sunt Pa-

(60) Rom 8,15.

(61) cfr. Lc 10,39.

(62) cfr. 2 Cor 5,14.

(63) cfr. Num 14,19; Ez 4, 4-8; 22,30; Jn 17, 9-26.

troni: scilicet, S. Alfonsus Maria de Ligorio, S. Ignatius de Loyola, S. Teresia a Iesu, S. Catharina Senensis.

36. Filiali amore prosequamur Beatam Mariam Virginem, Dei Genetricem, operi salvifico Filii sui pleno corde consociatam, tum cultu liturgico, tum exercitiis pietatis traditione acceptis, ut rosario mariali et similibus.

37. Verbum Dei in corde conferentes (64), missionarii orationi mentali cotidie, et quod id fieri possit per unam horam, incumbamus atque lectioni spirituali, praesertim sacrorum librorum (65); ac de fidelitate erga evangelium nos examinemus.

38. Sacramentum reconciliationis, quo spiritus perpetuae ad Deum conversionis significatur atque perficitur, frequenter celebremus. Vi enim huius sacramenti, dum reconciliamur cum Ecclesia, quam peccando vulneravimus, cum Christo, qui peccatum non novit (66), peccato morimur (67).

Caput VI. - DE CONFIGURATIONE CUM CHRISTO

39. Spiritus Sancti unctionis (68), qua ad evangelizandum pauperibus uncti sumus, participatio est plenitudinis Christi (69). Unde qui ad sequelam Domini et ad collaborationem cum Eo in opere Ipsi a Patre commissi vocati sumus, assidue Christum contemplari et imitari tenemur, spiritu Eius imbuti, ita ut iam non nosmetipsi

(64) cfr. Lc 2,19.

(65) cfr. 2 Tim 3, 14-17.

(66) cfr. 2 Cor 5,21.

(67) cfr. Rom 6,2.

(68) cfr. Act 10,38; 1 Jn 2,20, 27; Is 61, 1.

(69) cfr. Jn 1,16; Col 1,19.

vivamus, sed Christus in nobis reapse vivat (70). Hoc dumtaxat modo valida Domini instrumenta erimus ad regnum caelorum nuntiandum.

Configurationem nostram cum Christo votis religiosis in communitate missionaria consequi intendimus. Aliis etiam virtutibus eam assequimur et exprimimus iuxta donum nostrum in Ecclesia.

40. Caritas apostolica est virtus missionario apprime necessaria. Adeo ut, si ea caret, erit velut aes sonans aut cymbalum tinniens (71).

Christus, flagranti caritate erga Patrem et homines obstrictus, se dedit laboribus, passioni, immo et morti (72). Itemque Apostoli, laetitiae resurrectionis Christi testes (73), Sancti Spiritus igne impulsi, universam terram percurrerunt.

Nos etiam, zelo apostolico et gaudio Spiritus acti, omni ope et opere nitamur ut Deus ab omnibus cognoscatur et ametur Eique serviatur. Homines universos diligamus, beatitudinem regni iam nunc in terris inchoatam eis cupientes et procurantes.

41. Ut sentiamus in nobis quod et in Christo Iesu, qui Seipsum exinanivit, formam servi accipiens (74), humilitatem quaeramus, quae, cum ad gratiam Dei disponat, est perfectionis christiana fundamentum et ideo ministris evangelii virtus valde necessaria. Unusquisque uni Deo totam gloriam tribuat de omnibus donis quae habere sibi videatur, atque de iis fructum copiosum ferat (75).

(70) cfr. Gal 2,20.

(71) cfr. 1Cor 13,1.

(72) cfr. Jn 14,31; Gal 2,19; Eph 5,2. 25.

(73) cfr. Act 2,32; 3,15.

(74) cfr. Phil 2, 5-9.

(75) cfr. Jn 15,8.

Memor sit unusquisque suorum peccatorum ac defecuum, et propriam dependentiam a Deo intime recognoscat. Hanc cognitionem in modo agendi atque in aliis tractandis exprimat. Defectus et errores suos confiteatur, a fratribus veniam petat eisque caritatis officia reddat, ita ut in medio fratrum sit sicut qui ministrat (76).

42. Mansuetudinem a Domino propositam (77) sectari nitamur, quae signum est vocationis apostolicae. Caritas Christi nos urgeat oportet (78), ita ut fratres aemulemur Dei aemulatione (79) et forti animo cotidie moriamur (80) pro ipsis; ad mansuetudinem tamen Christi (81) in ministerio nos semper informari debemus ut plures Ipsi lucrifaciamus.

43. Operi Redemptionis consociati, conformari conemur Christo qui dixit: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam » (82).

Veri missionarii, tamquam advenae et peregrini abstineant se a carnalibus desideriis quae militant adversus animam (83). Ideo sensus diligenti cura custodian, glorificantes et portantes Deum in corpore suo (84). In cibo et potu atque in usu earum rerum quae voluptatem fovent, eas temperantiae formas eligant locorum et temporum adiunctis aptiores, quae viros apostolicos

(76) cfr. Lc 22,27; Mt 20,28; Mc 10,45.

(77) cfr. Mt 5,4.

(78) cfr. 2Cor 5,14.

(79) cfr. 2Cor 11,2.

(80) cfr. 1Cor 15,31.

(81) cfr. Mt 11,29.

(82) Mt 16,24

(83) cfr. 1Pet 2,11.

(84) cfr. 1Cor 6,20.

maxime decent. Ita in frugalitate sua patebit corpus esse Christi, cuius virtute Deus nos suscitabit (85).

44. Memores verborum Domini: « Qui perdiderit animam suam propter me et evangelium, salvam faciet eam » (86), magnopere expedit ut in omni adversitate, in fame, in siti, in nuditate, in laboribus, in calumniis, in persecutionibus et in omni tribulatione gaudere co- nentur (87), quoad usque possint dicere cum Apostolo: « Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo » (88).

Ipse Dominus, qui parem eundemque se fecit cum iis qui male se habent, nos invitat ut Ipsum in eis patien- tem agnoscamus et ipsis auxilium efficax demus (89), animam etiam nostram pro fratribus ponentes (90). Consentientes cum hominibus qui infirmitatem, dolorem, iniustitiam et oppressionem patiuntur, omnia propter eos sustineamus ut et ipsi salutem conse- quantur (91).

45. Quia Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum (92), cum aegroti simus infirmitatem atque dolores cum humilitate et submissione in divinum bene- placitum sustineamus, scientes nos infirmitate adimplere ea quae desunt passionum Christi (93). Aegrationem

(85) cfr. 1Cor 6,14.

(86) Mc 8,35.

(87) cfr. 2Cor 11, 16-33; Rom 5,3.

(88) Gal 6,14.

(89) cfr. 1Pet 2,24; Mt 25, 34-40.

(90) cfr. 1Jn 3,16.

(91) cfr. 2Tim 2,10.

(92) cfr. 1Pet 2,21.

(93) cfr. Col 1,24.

igitur omnesque defectus qui ex paupertate proveniant magna feramus patientia, testimonio vitae omnibus praedicantes.

Cum quis graviter infirmetur, sese Christo artius uniat etiam per sacramenta infirmorum, vitam pro salute omnium offerens et totam spem in Eo reponens qui est nostra resurrectio et vita (94).

Caput VII. - DE MISSIONE EXSEQUENDA

46. Ministerium verbi quo integrum Christi mysterium hominibus communicamus, specialis nostra vocatio in Populo Dei est. Ad annuntiandam enim vitam et mortem Domini Eiusque resurrectionem, donec veniat, missi sumus, ut omnes homines credentes in Eum salvi fiant (95).

Communicantes spei et gaudio, luctui et angori homi- num, praesertim pauperum, sociam intendimus praebere operam omnibus qui mundi transformationem secun- dum Dei propositum quaerunt. Evangelium tamen regni in fidelitate et fortitudine nuntiare debemus, praesertim cum, sive dominationis proposito sive divitarum cupi- ditate aut concupiscentiae desiderio, multi ei adver- santur (96).

47. Congregatio nostra propriam missionem adimplet in communitatibus credentium suscitandis et confirmandis, sive ut homines fide ad Deum convertat, sive ut eorum vitam in Christo renovet et usque ad perfectionem ducat.

(94) cfr. Jn 11,25.

(95) cfr. 1Tim 2,4.

(96) cfr. 1Jn 2,16; 1Cor 2, 1-7; Act 4, 18-21.

48. Missionarii, ut hanc adimpleant missionem, omnia media sibi possilia adhibeant, sed praeprimis in se ipsis foveant:

- **sensum perceptionis** eorum quae sunt urgentiora, opportuniora et efficaciora, attentis temporum, locorum et personarum adiunctis, quin rationes et instrumenta apostolatus inadæquata conservent;
- **sensum dispositionis animi**, ita ut parati sint renuntiare omnibus hucusque habitis ad explendum onus disseminandi fidem, tum extra tum intra patriae oras, dociles Spiritui et oboedientes missio (97);
- **sensum catholicitatis**, quo ducti in omnes terrae partes, aperto animo populorum usus eorumque valores in religione et cultura magni aestiment (98). Labor missionarius potissimum in eos sit qui evangelizatione maxime indigent vel in eos qui eiusdem evangelizationis agentes sunt aut fieri possunt. Singulos et omnes, spiritu missionario inductos, nobiscum collaborationem quaerentes, operibus nostris apostolicis libenter in Domino associamus.

49. Congregationis sodales plene operi evangelii sese devinciant, propriam etiam familiam relinquentes (99), memores se habere in caelis Patrem, cui super omnes placere debent (100): curantes etiam ne amor inordinatus patriae et propriae culturae adaptationem ad gentes evangelizandas impeditat. Et ut liberius suae vocationi missionariae vacent, nec factionibus politicis nec iis, quae eorum vocationi impedimento sint, velint irretiri.

(97) cfr. Act 16, 7-10.

(98) cfr. 1Cor 9, 19-23.

(99) cfr. Mt 10,37.

(100) cfr. Mt 23,9.

50. In ministerii officiis — ut sunt regimen, sanctificatio, evangelizatio — officium nostrum omnium praecipuum, quia missionarii sumus, est collaboratio in populo evangelizando. Nemo igitur munera regiminis ecclesiastici, nisi ex Superioris Generalis consensu aut Summi Pontificis mandato, admittat.

Caput VIII. - DE PROFECTU IN VITA MISSIONARIA

- 51. Missionarii nostri, iustitiam Domini esurientes (101), in mensuram aetatis plenitudinis Christi (102) tendere satagant ut efficacius gratiam evangelii aliis communicare valeant. Cum autem a Deo — non secundum opera nostra, sed secundum propositum Eius — vocati simus (103) atque in Iesu Christo iustificati (104), confidimus Ipsum, qui coepit in nobis opus bonum, illud perfecturum usque in diem Christi Iesu (105).
- 52. Conantes in novitate vitae ambulare (106), cor in Deum dirigentes, recta cum intentione et vero cordis fervore omnia operentur, atque pro Eo adversa sustineant. Propositum in via Domini proficiendi renovent cotidie. Singularis mensibus recessui spirituali studeant quo propriam vocationem recolant, spem futurae gloriae in se ipsi renovent ut melius adventui Domini occurrant. Singularis annis exercitiis spiritualibus speciali modo ac debita cura videntur.

(101) cfr. Mt 5,6.

(102) cfr. Eph 4,13.

(103) cfr. 2Tim 1,9.

(104) cfr. Rom 3,24.

(105) cfr. Phil 1,6.

(106) cfr. Rom 6,4.

53. Sicut Christus Dominus ductus est a Spiritu in desertum ut tentaretur a diabolo (107), ita et nos discipuli Eius saepe tentabimur (108). In temptationibus autem, cum Christo, qui in nobis adhuc tentatur, permanere debemus (109).

Induamus omnes armaturam Dei (110), de viribus nostris non praesumentes, sed indubia spe Domino confidentes, qui fidelem in ipsis temptationibus se preebet (111). Vigilemus igitur, iuxta verbum Domini (112), et Patrem caelestem oremus ne nos in temptationem inducat (113).

54. Ad profectum spirituale efficaciter promovendum, a fratribus auxilium petant, sive in directione spirituali sive in discretione communictaria aliisque mediis. Corrigi et moneri magnopere desiderent et postulent; omnibusque correctionibus cum gratiarum actione et interiore gratitudine respondeant.

55. Pro aliis solliciti, si fratrem a recta via deflectere viderint et in defectus incidere qui ei vel aliis nocumentum afferre possint, eum humili et miti caritate privatum moneant (114), fragilitatis sui memores. Si vero ille audire renuat, vel bonum ipsius aut proximi hoc statim suadeat, superiori notum faciant ut conveniens remedium adhibeat; ipsi vero rem Domino commendent.

(107) cfr. Mt 4,1.

(108) cfr. Jac 1,2.

(109) cfr. Lc 22,28.

(110) cfr. Eph 6,11.

(111) cfr. 1Cor 10,13.

(112) cfr. Mt 24,42. 44; Mc 13,37.

(113) cfr. Mt 6,13.

(114) cfr. Mt 18,15.

Fratrem paenitentem omnes sincero amore recipient, atque confirment, ut viam Domini securius prosequatur.

56. Sodales nostri pari gradu in virtute et scientia progreditantur opus est, ut temporibus pares sint atque ad ministerium fructuose exercendum idonei. Colant diligentissime sacras et humanas disciplinas atque earum progressionem constanter persequantur. Curam habeant superiores ut, quatenus condicio nostra sinat, congrua instrumenta ac subsidia ad studia efficaciter prosequenda in unaquaque communitate habeantur. Bibliotheca omnibus communictatis sodalibus maxime cordis.

57. Secundum postulata vitae missionariae, aliqua pars domus sodalibus tantum reservetur; communitas suum ordinem internum statuat ac suum orationis communictariae cursum definit aliosque vitae aspectus disponat, ita ut actus communes secundum operis apostolici requisita distribuantur. Et praeter tempus rebus spiritualibus et laboribus datum, missionarii aliquantum temporis pro seipsis habeant, et congrua recreatione, silentio et quiete frui valeant. In usu mediorum communicationis servetur necessaria discretio et ea vitentur quae vitae spirituali vel apostolico testimonio detrimentum afferre possunt.

Quoad habitum religiosum iuris communis praescripta serventur.

Pars Secunda

DE CONGREGATIONIS SODALIBUS

Caput IX. - DE VOCATIS IN VITAM MISSIONARIAM

58. Missionarii omnes donum vocationis in gaudio vivant. Praetera desiderio flagrare debent ut idem donum aliis etiam concedatur et Congregatio nostra in dies crescat ad regnum Dei annuntiandum (115).
Omnis sibi factam divinam cohortationem existiment: « Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » (116). Meminerint quoque verba nostra ac tenorem vitae missionariae optimam esse invitationem ad Domini vocationem amplectendam. Officium vocaciones fovendi omnibus et singulis inest.
59. Cum iis qui vocationem in seipsis percepisse videntur, processus discernendi vocationem in audizione verbi Dei, oratione et dialogo fraternali incipiat oportet.
Qui autem intellegunt se vocari ad plenam communionem cum nostra Congregatione, vitam et missionem nostram plene cognoscant et quodammodo experiantur (117).
Qui Congregationem ingredi petunt postulatum peragere debent, discrimin propriae vocationis sub ductu experti missionarii prosequentes.
In actu admissionis postulans profitebitur operas, quas in Congregatione permanens praestiterit, gratuito et sine

(115) cfr. Lc 9,60.

(116) Mt 9,38.

(117) cfr. Act 1,21.

- retributione se praestitum, iuxta legem status religiosi: ideoque nihil pro eis, si quando egrediatur, petitum.
60. Unusquisque nostrum satagit ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciat (118).
 Qui vero post professionem religiosam a Congregatione se discedere necesse crediderit, decisionem separationis praeparet dialogo fraterno, sincere quaerens voluntatem Dei.
 Si superiores Congregationis necesse crediderint fratrem a professionis iuribus et officiis seiungere, id cum caritate et discretione semper faciant.
 Cum aliquis Congregationem relinquere debet, sive ex propria voluntate sive ex decisione superiorum, ad normam iuris communis et particularis procedatur.
 Christiana caritate current omnes missionarii, praesertim superiores, eum, qui egressus vel dimissus est, quoad possint, iuvare ut in saeculo vitam honeste ducere queat.

Caput X. - DE NOVICIIS AC DE EORUM MAGISTRO

61. Novicii cum ad professionem in nostra Congregatione se praeparent, vitae missionariae fundamenta iacere current atque eiusdem elementa praecipua cognoscant: consilia quoque evangelica ad usum deducant. Itaque toto corde adhaereant Christo Domino — maxime in mysterio eucharistico — cuius vitae et ministerii participes erunt. Beatam Virginem Mariam Matrem et Magistrum accipient (119), quae prima exstitit Christi discipula.

(118) cfr. 2Pet 1,10.

(119) cfr. Jn 19,27.

62. Quamvis omnibus virtutibus indigeant missionarii, praeprimis ut propriae vocationi respondere possint, fidem vivam habere debent. Ipsa enim fuit quae prophetas, apostolos et martyres inflammavit, multosque verbi Dei praecones laeto animo amplecti fecit paupertatem, abnegationem, sacrificium ad Christi regnum dilatandum. Ideo novicii bene in fide sese firmare debent, immo ex fide vivere (120), praesertim cum in fidelitate erga vocationem se dubitare experiantur.
63. Magnam in Deo fiduciam habebunt, aptitudinem ad missionem bene exsequendam ab Eo exspectantes (121). Confortentur igitur cum tentationes diffidentiae vel exigitatis suae experiantur, memores Deum semper solitum esse instrumenta infirma et debilia eligere ut fortia confundat (122).
64. Vocationem missionariam humilitate evangelica custodiant. Agnoscant se nihil habere quod a Deo non acceperint et de quo non sint rationem reddituri (123). Ideo dona accepta recognoscant et current ut fructificant (124), atque ea proinde omnibus hominibus serviant.
65. Iuvenes missionarii Spiritui Sancto dociles in investiganda voluntate Dei, responsali actione cum superioribus participant eorumque decisiones ex fide et caritate accipient.
66. In omnibus Dei gloriam tamquam suam agendi rationem prosequantur, sive studio vacent, manducent aut animum

(120) cfr. Rom 1,17.

(121) cfr. Phil 1,6.

(122) cfr. Is 6, 5-8; 1Cor 1,27; 2Cor 12, 9-10.

(123) cfr. Mt 12,36; Lc 16,2.

(124) cfr. Mt 25, 14-30.

- relaxent, sive quidquid aliud agant (125). Ideo orationem absque remissione ac tepiditate colant. Ita e probationis anno cum proiectu egredientur.
67. Novicii magni faciant vocationem missionariam, processum discernendi, utrum revera in Congregationem vocati sint, prosequentes. Re comperta, divinae fidelitati propria fidelitate respondere conentur animo laeto et generoso.
68. Novicii ad vitam missionariam firmiter fundandam Magistro committuntur, qui eos in spiritu Congregationis verbo et opere instituet.
- Magister a Superiore Maiore cum suo Consilio designatur. Vir vere spiritualis sit et amore plenus erga Congregationem. Maturitate, amabilitate, prudentia ac solida doctrina de natura et missione nostrae Congregationis in Ecclesia, necnon congrua experientia apostolica praeditus sit.
- Novicios dirigat ut eorum maturitas iudicii et animi firmitas modo unicuique congruo evolvantur. Ipsi virtutes inculcat quae apud homines magni fiunt et Christi discipulum commendant. Curet ut novicii unitatem illam vitae missionariae perficere valeant qua spiritus unionis cum Deo et apostolatus intime copulantur.
69. Postulans ad noviciatum admittitur a Superiori Maiore auditio Consilio.
- Tempus noviciatus initium habet cum Superior Maior eiusve delegatus id decernat.
- Ut validus sit, noviciatus duodecim menses complecti debet, in domo ad hoc rite designata peragendos. Ad noviorum institutionem perficiendam, praeter
- dictum tempus, unum temporis spatium aut plura ad exercendum apostolatum extra noviciatus communitatem ad iuris nostri normam superiores statuere possunt. Noviciatus tamen ultra biennium numquam extendatur. Salvis his praescriptis, absentia a domo noviciatus quae tres menses, sive continuos sive intermissos, superat, noviciatum invalidum reddit. Absentia quae quindecim dies superat suppleri debet.
70. Candidatus, postquam tempore noviciatus vocationem suam in Congregationem sufficienter comprobaverit, eidem, praevia Superioris Maioris cum suo Consilio approbatione, coniungitur. Haec coniunctio primum fit ad tempus, sive per emissionem votorum sive per vincula quibus candidatus formam vitae evangelicae nobis propriam Congregationi promittit servandam.
- Expleto triennio huius professionis vel vinculationis temporariae, sodalis, qui sponte petat et idoneus iudicetur, ad ipsarum renovationem etiam per aliud triennium vel ad professionem perpetuam admittatur; secus discedat.
- Si opportunum vero videatur, Superior Generalis periodum professionis vel vinculationis temporariae alicui sodali prorogare potest, ita tamen ut integra coniunctio temporaria novennium numquam superet.
71. Habita Superioris Maioris eiusque Consilii approbatione, votis perpetuis sodalis Congregationi definitive incorporatur. Ut vota perpetua emittere possit, ad eam personalem maturitatem pervenerit oportet qua divinam vocationem ut bonum integrae personae agnoscere et vivere queat.
- Professio nostra religiosa perficitur emissione votorum castitatis, paupertatis et oboedientiae et actu quo publice nos consecramus Deo et tradimus Immaculato Cordi

(125) cfr. 1Cor 10,31.

Beatae Mariae Virginis in ministerium salutis. Quo distinctius exprimitur nos profiteri vitam religiosam in Congregatione condita ad ministerium verbi adimplendum. Hac autem ditione, a Congregatione et ab Ecclesia accepta, singuli sodales participant missionem nostram in Populo Dei.

Caput XI. - DE MISSIONARIIS INSTITUENDIS AC DE EORUM PRAEFECTO

72. Institutionis periodus est tempus formationis ad missionem nostram exsequendam.

Praeparatio autem ad perpetuam professionem religiosam per tres saltē annos protrahitur.

Praeter hanc primariam institutionem, specialiter singuli praeparentur ad munus proprii status in Ecclesia exercendum, sive sacerdotale, sive diaconale, sive laicale, eundem Christi Spiritum diverso modo iuxta proprium donum participare quaerentes (126).

Missionarii qui in periodo formationis versantur, cor suum et intellectum colant atque actioni Spiritus aperiant, nostram propriam institutionis rationem servantes. Scholastici disciplinas sacras, in primis, colant diligentissime.

73. Ut suae vocationis semper maturius profundiusque consciī fiant, in mundi mutationibus vivide discant Christo firmiter et constanter adhaerere iuxta charisma nostrum in Constitutionibus propositum.

Adiumento praefecti et directoris spiritus confidenter utantur.

(126) cfr. 1Cor 12, 4-11.

Incessanter a Deo efflagitent ut idoneos divini verbi ministros (127) ipsos faciat ad nomen Eius dilatandum atque caelorum regnum per totum orbem propagandum. Beatam Mariam Virginem, apostolorum formaticem, filiali fiducia diligent et colant.

74. Missionarii instituendi congruam cognitionem de hominum temporumque conditionibus socialibus et politicis acquirant, ita ut mundi adjuncta in lumine fidei sapienter diiudicantes atque zelo apostolico exardescentes, efficacius hominibus subvenire valeant.
75. Designatio futuri ministerii rationem habeat tum inclinationis et ingenii, tum necessitatum Congregationis et Ecclesiae. Tempore institutionis ars apostolatus discatur et practice exerceatur.
76. Institutionis missionariae responsalitas ob grave eius momentum, toti Congregationi, provinciae et communitati formationis incumbit.
77. Munus praefecti est magni momenti, tum ob eius finem, tum ob eius consectaria. Si enim unius peccatoris conversio opus est valde meritorium, multo magis ministrorum idoneorum formatio, qui suo tempore erunt salvationis multorum veluti instrumenta. Ille, igitur, cui munus tanti momenti iniungitur, de officio suo probe edoceatur atque illud cum omni sollicitudine adimplere curet.

Omnes aequē diligat et omnium necessitates agnoscat. In instructionibus doctrinam nostrae vitae missionariae tradat. Exemplo suo plus quam verbis intendat ut huius vitae formam ex intima persuasione fidei suscipiant.

(127) cfr. 2Cor 3, 4-6.

Caput XII. - DE MISSIONARIIS FRATRIBUS,
DIACONIS, PRESBYTERIS

78. Sodales omnes in eundem finem conspirantes iuxta gratiam, quae data est eis (128), in bonum totius corporis collaborant. Singuli autem in vocatione sua adimplenda proprium donum ac gratias ab eodem Spiritu aliis concessas maxime aestimare ac tueri tenentur (129).
79. **Missionarii fratres** sciant charisma suum inde signari laicali. Congregationem nostram ab exordiis etiam laici amplexi sunt ut, modo sibi proprio, missionis eius cooperatores essent.
- Haec vocatio participandi vitam missionarium Congregationis uti laici, genuina sueae consecrationis causa esse debet. Magni igitur aestiment omnes praestantes notas laicales atque eas vivant secundum spiritum nostrum missionarium.
- Fratres sollicitudines et spes huius saeculi, ipsis propinquas, in bonum missionis Congregationis afferunt.
80. In evangelizatione totius mundi missionarii fratres habent suas partes magni momenti, ut sint cooperatores veritatis (130). In hoc opere, apostolatus laicorum et ministerium pastorale mutuo se complent.
- Spiritum missionarium in se ipsis constantes renovent, ut Christus in omnibus primatum teneat (131), in artibus et professionibus saecularibus testimonium redentes. Quaevis enim illorum cooperatio in commu-

(128) cfr. Rom 12,6.

(129) cfr. 1Cor 12, 7-11.

(130) cfr. 3Jn 8.

(131) cfr. Col 1,18.

nitate missionaria valorem semper plene apostolicum habet (132).

81. **Missionarii diaconi**, qui ob specificam vocationem in diaconatum permanentem ordinati sunt, gratia sacramentali roborati, evangelice in diaconia verbi, liturgiae et caritatis Populo Dei necnon propriae communitati inserviant, Iesum imitantes qui non venit ministrari sed ministrare (133).
- Omnibus hominibus evangelizent Iesum (134), Eum sequentes, ut pleni gratia et fortitudine (135), testimonium efficax de Eius gloria reddere possint (136). Virtute Spiritus Sancti (137), qui caritas est, inter fideles caritatem fraternalm corroborent et in eis sensum iustitiae (138) excident.
82. **Missionarii presbyteri**, munus apostolorum participantes, evangelico et prophetico modo vivendi ad verbum Dei omnibus gentibus praedicandum, uti validi cooperatores episcoporum mittuntur. Itaque peculiare eorum officium est in bonum omnium Ecclesiarum spiritu missionario se devovere.
83. Sacramento ordinis Christo Sacerdoti configurati, cuius personam praesertim in eucharistiae celebratione gerunt, Eius mortem et vitam participant, ut in communitate hominum ceteris memoriam praesentiae Domini revocent.

(132) cfr. Mt 10,42.

(133) cfr. Mt 20,28.

(134) cfr. Act 8,35.

(135) cfr. Act 6,8.

(136) cfr. Act 7, 55-58.

(137) cfr. Act 6, 3. 5; 7,55.

(138) cfr. Mt 5,6.

Et quia ex hominibus assumpti pro hominibus constituantur in iis quae sunt ad Deum (139), ut efficacius eis servire valeant, ab eorum vita et conditionibus alieni ne remaneant, sed cum eis tamquam cum fratribus conversentur omnibus omnia facti (140). Curam pastoralem habeant infirmorum et eorum qui quavis ex causa emarginati sunt.

84. Eam caritatem pastoralem a Domino petant et exercere current qua prompti sint ad animam suam pro fratribus ponendam (141). Idcirco, Deum Patrem pro Ecclesia et mundi salute cotidie deprecentur, praesertim cum memoriam Domini celebrent et liturgiam horarum persolvant. Ad auxilia ministerii sacerdotalis praestanda semper sint parati.
85. In praedicatione et qualibet actione pastorali, ut veri Dei ministri (142), spiritu Ecclesiae ducantur; magnam habeant fraternitatem mutuam, libenter consociata ratione adlaborantes.

Pars Tertia

DE CONGREGATIONIS REGIMINE

(139) cfr. Heb 5,1.

(140) cfr. 1Cor 9,22.

(141) cfr. Jn 10, 11-17; 1Jn 3,16.

(142) cfr. 2Cor 6,4.

Caput XIII. - DE ORGANICA CONGREGATIONIS
CONSTITUTIONE

86. Congregatio nostra a Spiritu suscitata et ab Ecclesia erecta, communi vocatione et missione omnium sodalium, instar ipsius Ecclesiae, communitas est charismatica et institutionalis; ac praeterea in clericalibus adnumeratur. Ideo omnia illa etiam complectitur elementa institutionalia quae necessaria sunt ad melius missionem suam complendam.

Omnia haec elementa omnesque normae regiminis fraternalae caritati inserviunt; simulque intendunt Congregationem promptam habere in servitium Ecclesiae universalis.

87. Congregatio nostra constat provinciis, delegationibus, domibus, residentiis et quasiresidentiis.

88. **Provincia** est nunnularum communitatum localium — domorum, residentiarum, quasiresidentiarum — coniunctio, quae peculiarem inter se relationem et veram communicationem habent. Partem Congregationis constituit sub eodem superiore qui eam regit potestate ordinaria. Provinciae possunt esse formatae vel formandae.

Delegatio independens est eadem communitatum localium inter se coniunctio sub eodem superiore qui eam regit potestate delegata a Superiore Generali.

Delegatio dependens vero dicitur, cum eam regit superior potestate delegata a superiore provinciali.

89. **Domus** est communitas stabiliter in loco constituta in qua vita missionaria adimpleatur, sex saltem sodalibus professis constans, qui fraternitatem participant.
- Residentia** est eadem communitas stabiliter in loco constituta tribus saltem sodalibus professis constans.
- Quasiresidentia** est communitas sine illa stabilitate, ex causa alicuius sacri ministerii exercendi vel ex alia ratione, ad normam iuris nostri, constituta.
90. **Missiones** vocantur provinciae, delegationes, domus, residentiae, quae privilegio regimine fruuntur.
91. Erectio et suppressio domorum et residentiarum, auditis sodalibus quorum interest et servatis praescriptis iuris communis, reservatur Superiori Generali cum suo Consilio.
- Erectio, innovatio et suppressio provinciarum et delegationum a Superiore Generali cum voto deliberativo consultorum fit, auditis sodalibus atque consiliis provincialibus partem in causa habentibus.
92. Congregatio nostra regitur a Superiore Generali, a superioribus provincialibus, a delegatis et a superioribus localibus; singuli cum suo consilio.
- Dirigitur vero a capitulis, sive generali sive provinciali.

Caput XIV. - DE PRINCIPIIS REGIMINIS

93. Legislatio et regiminis nostri forma naturae plene apostolicae Congregationis consona esse debet et criterii vitae missionariae inniti. Mutua relatio et dependentia inter communitem et regimen in omnibus regiminis structuris perfici debet. Inde regimen ab omnibus con-

- sociata voluntate participari oportet atque debito ordine exerceri.
94. Superiores, caritatem qua Deus fratres diligit exprimentes et cum respectu personae humanae, eo perducant sodales ut in munib[us] obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsali oboedientia, etiam vi voti, cooperentur.
95. Auctoritas ordinata exercenda est. Cuicunque munus vel negotium aliquod commissum sit, libertas relinquatur ut opus suum integre et expedite exsequi possit, nisi bonum commune postulet ut superior immediatus vel maior, iuxta casus, convenienter interveniant.
96. Cum omnis auctoritas in nostra Congregatione subordinate exerceatur, omnis superior, gravi suadente causa, vel exigente bono communi, potest, iuxta normas iuris et eo auditio, removeri ab eo qui eum nominavit, et in casu electionis, ab eo cui ius est confirmationis.
97. Superiores sive Generalis sive provincialis sive delegationis, singuli in suo gradu et iurisdictione, universam Congregationem, provinciam et delegationem iure proprio repraesentant eorumque personam gerunt. Eisdem superioribus ius est in suo etiam ordine et gradu Congregationem, provinciam, delegationem solvere et obligare tam canonice et civiliter quam moraliter, ad normam tamen iuris communis et nostri particularis.
98. Provinciae ac domus aliae cum aliis in personarum et bonorum temporalium communicatione, ductu superiorum, se mutuo compleant; ita ut eae quae plus habeant alias adiuvent quae egestatem patiuntur.
99. Congregatio bona temporalia tamquam subsidia considerat quae ad finem suum apostolicum expendere de-

- bet. Cum autem sint bona ecclesiastica, ex normis iuris communis Ecclesiae et particularis nostri, itemque iuxta sensum paupertatis evangelicae, administranda sunt.
100. Non solum Congregatio verum etiam provinciae, delegations, domus, residentiae sunt personae iuridicæ et possunt ad normam iuris bona quaelibet temporalia acquirere, ut propria retinere, possidere et administrare. Proprietas bonorum in Congregatione est subordinata.
101. Personae morales Congregationis de illis tantum debitis, obligationibus, conventionibus respondebunt quae, ad normam iuris communis et particularis nostri, vi munieris vel mandati, ipsarum nomine contractae sint. De aliis omnibus, ii qui invalide vel illicite contraxerint, coram Congregatione et coram Ecclesia et auctoritate civili, moraliter, iuridice et oeconomice respondere cogentur.
- Unaquaque vero persona moralis Congregationis de propriis tantum debitis, obligationibus et conventionibus civiliter respondere debet.
- Caput XV. - DE COMMUNITATIS LOCALIS REGIMINE**
102. Vita missionaria peculiari modo in communitate locali adimpletur. In ea enim fraterne coniuncti, missionem nostram exsequimur in servitium Populi Dei.
103. Superior localis, signum communionis et vinculum unitatis, praest singulis Congregationis domibus et residentiis in servitium missionis. In quasiresidentiis huiusmodi officia delegatus, a superiore designatus, exercet. Superiorem vere spiritualem et animarum zelo plenum

- esse oportet, Congregationi vere addictum atque discretione et ingenio convenienti praeditum.
104. Superior, qui communitatem incitare et dirigere debet ad sedulam vitam et operam missionarium, servitium suum praestat:
- 1) Magna cum caritate bonum fraternum promovens.
 - 2) Coniunctim inquirens et discernens voluntatem Dei de communitate et de singulis fratribus et, cum — vel quae sita Dei voluntate, vel temptato iudicio discretionis — in sententiam non convenitur, opportune ipse decernens de re, qua communitas obligatur.
 - 3) Ex se decernens, cum id expediat, quae necessaria sunt; communitatem tamen admoneat quatenus fieri possit et opportunum videatur.
 - 4) Exemplo suo et sinceris verbis incitationis laudisque fratres confortans et eos dicens — si necessarium sit, etiam monitione et correctione — ut fideles permaneant suis promissis ceterisque vitae nostrae obligationibus.
 - 5) Communitatem cum gubernio provinciae seu delegationis et cum aliis provinciae vel delegationis immo et Congregationis communitatibus, coniunctam habens.
 - 6) Communitatem promptam habens in servitium Ecclesiae particularis, sociam collaborationem praebens etiam consociationibus laicorum.
105. Superior repreäsentat iure proprio domum seu communitatem eiusque personam in omnibus actibus iuridicis sive canonicis sive civilibus gerit, ad normam tamen iuris communis et nostri particularis.

106. Modus designationis superiorum localium a capitulo provinciali in singulis provinciis determinatur. Designatio fieri potest aut per nominationem a superiore provinciali cum suo consilio aut per electionem a communitate factam. In utroque casu ad normam iuris procedendum est.

In delegationibus independentibus et in singulis dominibus generaliciis modus designationis a Gubernio Generali statuitur.

Nominatio vel electio superioris localis est ad triennium, quo elapso, ad alterum triennium assumi poterit et, ob rationes peculiares, ad tertium triennium in eadem domo, ad normam iuris.

107. In omnibus dominibus et residentiis sint etiam vicarius et oeconomus. In ipsorum designationis modo determinando, eadem ratione proceditur atque in superioribus localibus. Ipsi, ad normam iuris, munere consultorum funguntur et, una cum superiore, illa assumunt officia muneris quae ab universa communitate nec facile nec opportune exerceri possunt. Insuper superiorum adiuvant in fovendam communitatis vitam et missionem.

108. Vicarii est superiorum absentem vel impeditum supplere. Oeconi praecipuum officium est spiritu servitii bonum sodalium et missionis communitatis quaerere, rerum temporalium ipsius communitatis curam habens; quem in finem expensas et actus ordinariae administrationis facere potest. Paupertatem fideliter servet, prodigalitatem simul et pecuniae tenacitatem devitans.

109. In missionibus, superior maior cum suo consilio, auditis sodalibus, modum determinabit designationis superioris, vicarii et oeconomi. Superior localis oeconomi

munus gerere potest. Residentiae ad normam quasiresidentiarum constitui et regi possunt.

110. Adunatio plenaria, quae ex ipsa natura communitatis localis enascitur, ex omnibus communitatis fratribus professis componitur. In ea communitas participat et se conscientiam reddit in promissis exsequendis et in rebus dirigendis, aestimandis, discernendis quae ad intimam sui ipsius indolem et ad ea quae peragenda sunt pertinent. Huius adunationis modus et crebritas — quae semel saltem in mense habenda est — ab ipsa communitate statuantur.

Caput XVI. - DE COMMUNITATIS PROVINCIALIS REGIMINE

111. Partes unius Congregationis sunt provinciae et delegations, quae instituta maiora vocantur. Inde universa missio Congregationis ordinate participatur et singularium communitatum inter se et cum Congregatione coniunctio efficacius obtinetur. Ideo provinciis et delegationibus praeficiuntur superiores qui vinculum sunt unitatis et etiam communionis cum universa Congregatione sub ductu Superioris Generalis.

Art. 1. - De Superioro provinciali eiusque consilio

112. Superior provincialis, praeter requisita a iure communis praescripta, vir sit selectus, zelo apostolico plenus ac fidei probatae erga Ecclesiam et Congregationem.

113. Superioris provincialis officium est:

1) Provinciam promptam habere in servitium Ecclesiae praesertim in sua regione, secundum disciplinam pastoralem consociatam, servando tamen unitatem charismatis cum universa Congregatione.

- 2) Impulsorem et ductorem esse vitae missionariae in singulis communitatibus, et abusus, qui forsitan irrepserint, cum caritate corrigere.
- 3) Cum aptis structuris communicationis et participationis responsalitatem communitatum in missione provinciae fovere.
- 4) Suae provinciae sodales bene nosse: ideoque, praeter visitationem canonicam, alternis saltem annis exsequendam, singulas domus frequentius visitare.
- 5) Contendere ut universa provincia in vocationum augmentum conscientia et sponsor sit, atque maxima diligentia in profectu formandorum et ceterorum sodalium adhibeatur.
- 6) Cum Superiore Generali plenae communionis officia servare et omnia, quae ab eo ipsi committantur, accurate exequi.
114. Superior provincialis in capitulo provinciali, praevia omnium sodalium provinciae conquisitione, suffragiorum pluralitate absoluta, ad normam iuris nostri eligitur et a Superiore Generali cum suo Consilio confirmatur.
 Gubernium Generale facultatem habet permittendi aliqui provinciae, — cuius capitulum id expresse petat —, ut superior provincialis alio modo, ad normam iuris nostri, designetur.
 Tam in provinciis formatis quam in formandis, ad tempus a legislatione nostra determinatum, eligitur vel designatur.
115. Superior provincialis adiuvatur a consultoribus, cum quibus saepe de statu provinciae agit et cum eis negotia maioris momenti tractat. Participationem in regimine consultores maxime exprimunt voto deliberativo

aut consultivo, iuxta casus. Superiori provinciali in omnibus adstare current, salva libertate eum monendi vel etiam Superiore Generalem certiores reddendi, si casus ferat.

116. Consultores provinciales, qui saltem duo esse debent, eliguntur vel designantur eodem modo ac superior provincialis, ad normam iuris nostri, et eius sortem sequuntur quoad tempus muneris.
117. Superior provincialis inter consultores designatos vicarium seliget, qui primus inter consultores erit et, praeter delegationes quas superior provincialis ei commitat, eiusdem superioris absentis vel impediti vices gerit. Oeconomus provincialis eodem modo atque consultores eligitur vel designatur etiam si consultor non sit. Eius dotes, iura atque officia eadem esse debent — in ambitu provinciae — quae de oeconomico generali statuantur.
 Secretarius provincialis a superiore provinciali, ad normam iuris nostri designatur.

Art. 2. - De superiore delegationis eiusque consilio

118. Superiores delegationum independentium easdem dotes habere debent ac superiores provinciales. A Superiore Generali cum Consilio ad tempus nominantur. Eorum facultates habituales iure nostro definiuntur; in harum autem usu speciali modo a superiore delegante dependent, qui et alias ex iudicio suo ipsis concedere potest.
119. Superiores delegationum dependentium, quorum circumscriptio partem constituit alicuius provinciae, nominantur ad tempus a superiore provinciali cum suo consilio. Nominatio autem approbanda erit a Superiore

Generali. Horum iura et officia in ipsorum nominatione definiuntur.

120. Superior delegationis duos habet consultores, qui munere oeconomi et secretarii fungi possunt. Eodem modo ac superior delegatus nominantur.

Art. 3. - De superiore missionis eiusque consilio

121. Superior provinciae vel delegationis, quae « missio » vocatur, eiusque consultores aut officiales iuxta easdem normas constituuntur. Exceptio autem iure, si de provinciis agitur et bonum missionis id requirat, possunt etiam a Superiori Generali cum suo Consilio nominari auditis sodalibus missionis.

Art. 4. - De capitulo provinciali

122. Capitulum provinciale est regiminis organum quod provinciam repreäsentat, atque participationem, sociam responsalitatem et communionem totius provinciae exprimit. Maxima diligentia habeatur ita ut eius ope communitas provincialis maximum et intimum vitae missionariae vigorem assequatur atque aptetur et aperiatur communitati generali Instituti.
123. Capitulum provinciale a superiore provinciali convocabitur auditio Superiori Generali circa tempus et locum celebrationis. Ordinarium celebrabitur cum superior provincialis eligendus sit. Extraordinarium, quoties bonum spirituale vel temporale provinciae, iudicio consilii provincialis, a Superiori Generali cum suis consultoribus confirmato, illud postulet.
124. Capitulo provinciali intersunt: 1) Superior Generalis vel eius delegatus ut praeses. 2) Superior provincialis cum consultoribus, oeconomo et secretario, licet ii con-

sultores non sint. 3) Superiores locales. 4) Tot delegati — quorum modus electionis iure nostro statuitur — quot superiores locales in provincia sunt. 5) Quot proximum superius capitulum provinciale superiori provinciali cum suo consilio concederit designare.

125. Capitulum provinciale:

- 1) Examinat statum provinciae ad rationem agendi in futurum determinandam.
- 2) Applicat normas et directiones Capituli Generalis iuxta peculia ria locorum ac personarum adjuncta quod ad vitam missionariam, ratione habita laboris consociati cum clero dioecesano et religioso.
- 3) Superiorem provincialem eiusque consultores et oeconomum eligit vel alium modum determinat eos designandi, ad normam iuris nostri.
- 4) Modum quo superiores, vicarii et oeconomi locales designentur statuit secundum ea quae ex iure nostro optanda providentur.

126. Capitulum provinciale est capitulum vero ac definito suo sensu, eiusque decreta vim habent iuridicam. Haec tamen Superioris Generalis cum suo Consilio approbatione indigent.

127. Expedit ut superiores maiores conventus superiorum et aliorum sodalium, immo universae provinciae cum suo consilio provinciali vel delegationis, tempore et modo convenienti congregent.

Caput XVII. - DE VISITATORIBUS

128. Visitatio superiorum maiorum, uti actus extraordinarius regiminis a iure communi et nostro statuitur ut vinculum unionis in Congregatione roboretur eiusque vita et missio ad finem suum dirigantur.
129. Visitator cum sodalibus in cotidiana vita partem habeat, eorum optata et difficultates cognoscere curet, eos liberenter audiat et ita omnium conspirationem ad bonum Instituti et Ecclesiae promoveat.
130. In visitationibus, adunatio plenaria communitatis congregetur ad fovendam unionem et fraternitatem, ad missionem propriam et singularem communitatis definiendam et illustrandam. Item ut exquiratur utrum superiora proposita expleta sint necne, et ut futura vitae et actionis gerendae consilia statuantur. Tandem, ut omnium mentes et voluntates ad fidelitatem stimulerentur.
131. Ordinationes visitatorum epilogum constituunt dialogi visitationis quo, praeter ea quae forsitan monenda et corrigenda sint, omnes in gudio vocationis missionariae confirmentur et communitati novi impulsus atque inspirationes pastorales comparentur.
132. Superior Generalis, sexto saltem quoque anno exacto, domorum et residentiarum Congregationis per se vel per delegatum debita cura visitationem peraget. Per se autem, quod id fieri possit, frequentius curiam et domus formationis provinciarum visitabit.
133. Superior maior legitime impeditus ad peragendas visitationes in Constitutionibus statutas, poterit, auditio suo consilio, alium sodalem idoneum eiusdem instituti maioris delegare.

134. Praeter visitationes ex officio, expedit ut superiores maiores alias interdum visitationes, domibus praesertim formationis peragant.

Caput XVIII. - DE COMMUNITATIS GENERALIS REGIMINE

135. Congregatio nostra donum exprimit Spiritus ab Ecclesia sancitum quo nos omnes ad universalem missionem ordinate exsequendam vocati sumus. Communitas vero missionis organicam sibi postulat constitutionem ut melius communio omnium sodalium servetur et aptius singulorum navitates et proposita coordinentur.

Art. 1. - **De Superiore Generali**

136. Ut universa Congregatio missionem suam fideliter persequatur, regitur a Superiore Generali, qui potissimum in eam curam incumbet praebendi Congregationem promptam Ecclesiae totique generi humano secundum necessitates temporum et locorum. Ipse enim signum est communionis et vinculum unitatis in universa Congregatione in quam suprema auctoritate ordinaria fungitur.
137. Praeter requisita a iure communi praescripta, in Superiorum Generalem eligendus, vir esse debet de cuius prudentia, ingenio, zelo apostolico, amore erga Congregationem, Constitutionum observantia et virtutum exercitio probata exempla habeantur.
138. Superioris Generalis officia sunt:
 - 1) Congregationem in obiectum suum apostolicum efficaciter dirigere vitaeque religiosae vigorem in ea fovere.

- 2) In Congregationis vita et ministerio spiritum communionis fraternae alere et inter omnes consociatam operam promovere.
- 3) Mentem et voluntatem Capituli Generalis exsequi et charisma nostrum illustrare.
- 4) Congregationis conservationem et incrementum procurare. Vocationes ubique promovere et formationi nostrorum prospicere.
- 5) Dilatationi Congregationis, praesertim in missionibus, spiritu vere apostolico, operam dare.
- 6) Cum aptis structuris communicationis et participationis responsalitatem superiorum maiorum in missione tam provinciae quam universae Congregationis fovere.
- 7) Omnium Congregationis sodalium bonum spirituale et temporale, quoad fieri possit, promovere, eosque secundum necessitates missionis Congregationis ex cardinare vel incardinare.
- 8) Per se vel per delegatos visitationes generales per agere et capitulo provincialibus praeesse.
139. Superior Generalis eligitur in Capitulo Generali suffragiorum pluralitate absoluta ad sex annos, quibus elapsis ad alium sexennium eligi poterit, pariter cum suffragiorum maiore parte absoluta. Ut eius electio ad tertium sexennium fieri possit, requiruntur duea tertiae partes suffragiorum.
140. Electio Superioris Generalis forma vere canonica et modo legitime statuto fiet. Et ea facta, praeses Capituli nomen electi nuntiabit eumque, formula prescripta, electum declarabit. Statim omnes Superiori Generali reverentiam exhibebunt.

141. Si autem, quod absit, Superiorem Generalem a suo munere amoveri oporteat eo quod, vicarii ceterorumque consultorum generalium iudicio, eius regimen valde extitiale Congregationi sit, res ad Sanctam Sedem defera tur, et ante quam Capitulum Generale ad removendum Superiorem Generalem adunetur, benigne ipsi suadeatur ut sua sponte muneri renuntiet.
142. Vacante munere Superioris Generalis ob eius mortem vel abdicationem aut remotionem, vicarius generalis vel, eo deficiente, primus qui eum sequitur in ordine consultorum generalium, Capitulum Generale de eligendo Superiore Generali, modo legitime statuto, convocabit.
- Art. 2 - De Vicario et de ceteris Consultoribus Generibus**
143. Consultores Generales vere cooperatores sunt Superioris Generalis, et cum eo Gubernium Generale Congregationis constituant atque exprimunt fraternitatem et missionem apostolicam totius Congregationis.
144. Ad munus Consultoris Generalis eligi potest quicumque vota perpetua emiserit magisque resplendeat ob prudentiam, spiritum missionarium, amorem erga Ecclesiam et Congregationem, facilitatem ad unitatem actionis cum sociis assequendam et conservandam.
145. Consultores Generales, qui duo saltem semper erunt, eliguntur in Capitulo Generali, forma vere canonica, numero autem et modo legitime statuto, ex diversis orbis regionibus in quibus Congregatio constituta est. Eliguntur ad tempus ad quod eligitur Superior Generalis et cum ipso cessant. Denuo tamen eligi possunt. Deficiente aliquo ex eis, alias a Superiore Generali et reliquis Consultoribus nominari debet.

146. Ex Consultoribus Generalibus Superior Generalis unum eligit qui sit suus Vicarius. Hic est primus inter Consultores et, praeter delegationes quas Superior Generalis ei committat, eiusdem Superioris absentis vel impediti vices gerit.

147. Officia specialia Consultorum Generalium sunt:

- 1) De rebus maioris momenti cum Superiore Generali agere eumque in regimine Congregationis adiuvare.
- 2) Ad effectum adducere rerum gerendarum ordinem a Capitulo Generali propositum aut ab ipso Gubernio Generali paratum.
- 3) Instituta maiora eorumque foederationes necnon, cum id expediat, singulas communitates incitare et confortare.
- 4) Recognoscere et aestimare cursum vitae missionariae Congregationis, simulque monstrare quae sunt urgentiora et priora in missione nostra explenda.
- 5) Sive singillatim sive coniunctim Superiorum Generalem, debita cum reverentia, de rebus fortasse minus recte actis monere.

148. Consultores Generales maxime participationem in regimine exprimunt voto sive deliberativo sive consultivo. Votum deliberativum in Consilio Generali requiritur quoties in iure communi vel nostro particulari aperte dicitur aut res de qua agitur Superiori cum suo Consilio vel etiam Consilio Generali solvenda committitur. Votum eorum consultivum tum petere tantum tenetur Superior Generalis cum plane dicitur in iure communi vel in iure particulari. Suadetur tamen Consilii petitio in rebus gravioribus et obscuris quae obvenire possunt.

Art. 3. - **De officialibus generalibus**

149. Oeconomus, Secretarius et Procurator apud Sanctam Sedem sunt officiales generales Congregationis.
150. Oeconomus Generalis a Capitulo Generali eligitur et inter Consultores Generales adnumeratur. Officia eius sunt:
 - 1) Bona temporalia Congregationis in spiritu iustitiae, caritatis et paupertatis administrare in universae Congregationis eiusque sodalium servitium.
 - 2) Donationes et legata ad usus a benefactoribus designatos impendere vel, deficiente designatione, eisdem uti iuxta normas a Superiore Generali et, si causus ferat, cum suo Consilio, ei datas.
 - 3) De administratione bonorum Congregationis, de eorum statu atque de redditibus eorumque usu, saltem semel in anno Consilio Generali rationem reddere.
151. Secretarius Generalis a Superiore Generali e numero consultorum designari potest. Ut sodalis, Consilio Generali extraneus, secretarius generalis nominari possit, Superior Generalis indiget consensu suorum consultorum. Secretarius sollicitudine, prudentia et amabilitate praeditus esse debet.
152. Procurator Generalis in Capitulo Generali eodem modo ac tempore quo Consultores Generales eligitur. Ductu Superioris Generalis negotia Congregationis apud Sede Apostolicam pertractat. Ideo Congregationem multum in Domino diligat ac Superiori Generali vere adictus sit. Per tempus sui muneris, procurator generalis amoveri nequit inconsulta Sede Apostolica.

Art. 4. - De Capitulo Generali

153. Capitulum Generale — in oboedientia Spiritui et in fidelitate plena charismati nostro missionario ab Ecclesia sancito — suprema est auctoritas in Congregatione ad charisma fratribus inserviendum. Est etiam maxima significatio communionis vitae et missionis totius Congregationis. Universam Congregationem authentice repraesentat, atque omnium sodalium participationem et curam de vita Congregationis deque eius actione in Ecclesia collegialiter exprimit.
154. Capitulum Generale semper a Superiori Generali convocatur. Capitulum Generale ordinarium celebrabitur quoties ad electionem Superioris Generalis procedendum erit. Extraordinarium quotiescumque iudicio Superioris Generalis et consultorum necessarium videatur ad Congregationis missionem, incrementum, dilatationem aut renovationem, vel ob aliam quamlibet causam ei summopere proficuum.
155. Capitulum Generale, animo ad Dominum et ad postulata totius communitatis intento, de rebus agit quae ad universam Congregationem pertinent. Ideo:
- 1) Statum Congregationis perpendit, eiusque accommodatam renovationem sollicite promovet rerum agendarum programmata praebendo.
 - 2) Doctrinam Ecclesiae circa vitam religiosam et circa apostolatum Congregationi applicat.
 - 3) Officium magisterii exercet circa patrimonium spirituale Congregationis.
 - 4) Interpretatur dubia et difficultates quae circa Constitutionum sensum et observantiam orientur.
 - 5) Promulgat decreta et ordinationes quae necessaria vel opportuna videantur.

- 6) Capituli Generalis est etiam Superiore Generalem et eius consultores et officiales eligere.
156. Capitulo Generali intersunt: 1) Superior Generalis ut praeses, consultores et officiales generales. 2) Superiores provinciales. 3) Unus vocalis ex unaquaque provincia et unus vocalis ex unaquaque delegatione independenti. 4) Quot in superiore Capitulo Generali constituti sint ad proportionem representationis sodalium uniuscuiusque provinciae servandam. 5) Quot praecedens Capitulum decreverit ad representationem domorum generalium et quot Superiori Generali cum suo Consilio concesserit designare.

ADNOTATIONES QUOD HAS CONSTITUTIONES

- 157 Harum Constitutionum authenticam interpretationem Sancta Sedes sibi reservat. Ut ipsarum normae mutentur necessaria est decisio Capituli Generalis quae deducatur ex duabus trium partium suffragiorum, cui postea approbatio Sanctae Sedis subsequatur.
158. Congregationis sodales praescriptis harum Constitutionum obligamur ut crescamus in via Domini et in servitio regni Dei. Vis autem huius obligationis desumi debet ex ipsa natura uniuscuiusque praescriptionis. Omnes nos maxime hortatur Ecclesia ut vigorem nostrae vitae missionariae ex Constitutionibus perquiramus.

FORMULA PROFESSIONIS

qua nos Deo devovemus et Congregationi incorporamur

159. Divinae vocationi respondens, ego..., volo gloriam Dei impensis querere, me Ipsi plene devovere atque Christum Dominum sicut Apostoli in ministerio salutis hominum totius mundi pressius sequi.

Ideo, coram familia Dei hic congregata, per manus tuas, ..., in Spiritu Sancto Deo Patri, per Filium Iesum Christum me consecro et Immaculato Cordi Beatae Mariae Virginis in speciale servitium me trado, in obiectum ad quod haec Congregatio constituta est in Ecclesia.

Propterea, CASTITATEM, PAUPERTATEM et OBOEDIENTIAM Deo in perpetuum (vel ad annum, ad triennium) voveo et in communitate vitae apostolicae huius Congregationis Missionariorum, Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis vivere promitto secundum Constitutiones, quas omni cura possibili servabo.

Rogo ergo vos, fratres, ut Professionis meae testes esse velitis.

Orate pro me, ut in servitio Dei et Ecclesiae fidelis sim spiritui Fundatoris, Sancti Antonii Mariae Claret, atque perfectam consequar caritatem.

AMEN.

INDEX LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

EX VETERE TESTAMENTO

		nn.CC.		nn.CC.
Num	14,19	34		.61,1
Prov	15,5	18		61,1-2
Eccli	3,14	18	Ez	4,4-8
Is	6,5-8	63		22,30

EX NOVO TESTAMENTO

Mt	1,20	3		19,20	20
	4,1	53		20,28	30, 41, 81
	4,23	3		23,9	49
	5,1-12	4		24,42.44	53
	5,3	24		25,14-30	64
	5,4	42		25,32.36.39	18
	5,6	51		25,34-40	44
	5,6.10.20	81	Mc	1,14	3
	5,48	4		1,35	33
	6,13	53		3,13-14	3
	9,35	3		6,7-8	25
	9,38	58		8,35	44
	10,7-10	25		10,45	41
	10,37	49		12,29-31	10
	10,40-42	17		13,37	53
	10,42	80		16,15	4
	11,29	42	Lc	1,34-37	20
	12,36	64		1,38	28
	16,24	43		1,48-55	23
	18,15	55		2,19	37
	19,11-12	31			

	nn.CC.		nn.CC.			nn.CC.			nn.CC.		
Lc	2,49	3	Act	19,27	61	1Cor	11,7	15	Phil	6,11	53
	4,18	3		1,21	59		12,4-11	72		6,12	21
	5,11	23		2,32	3, 40		12,7	17		1,6	51, 63
	6,12	33		2,44	26		12,7-11	78		2,8	28
	6,36	4		4,2	3		12,25	15		2,5-9	41
	6,20-23	4		4,32	10, 26		13,1	40		3,8	45
	9,58	23		3,15	40		13,4-7	15		Col	1,18
	9,60	58		4,18-21	46		15,13-15	3		1,19	80
	10,5	17		6,3,5	81		15,31	42		1,24	39
	10,39	34		6,8	81		15,49	15		3,10	45
	11,1-13	33		7,55	81	2Cor	3,4-6	73	2Thes	3,7-14	26
	12,31	26		7,55-58	81		4,16	18		1Tim	2,4
	14,26	22		8,35	81		5,14	34, 42		2Tim	2,4
	16,2	64		10,38	39		5,21	38		3,14-17	46
	18,29-30	22		16,7-10	48		6,4	85		Heb	2,10
	20,35-38	20	Rom	1,17	62		8,9	23		5,1	51
	21,36	33		3,24	51		11,2	42		10,7	44
	22,28	53		5,3	44		11,7-15	26		13,2	37
	22,27	41		5,5	10		11,16-33	44		2,11	83
	Jn	1,13		6,2	38		12,9-10	63		2,21	28
	1,16	39		6,4	52		12,13	26	Jac	2,24	45
	1,41-43	58		8,15	34		12,19	40		2,24	44
	3,16-17	3		12,6	78		2,20	39		1Pet	1,10
	4,34	28	1Cor	1,27	63		4,4	3		2,13	60
	5,30	28		2,1-7	46		6,2	15		2,21	31
	5,30	30		4,4	16		6,14	9, 44		2,22	45
	10,11-17	84		4,12	26	Eph	4,3	17	1 Jn	2,16	46
	10,30	10		4,15	21		4,13	51		2,20,27	39
	11,25	45		6,14	43		5,2,25	40		3,16	30, 44, 84
	13,14-17	4		6,20	43		5,30	15	3 Jn	8.	30
	13,34-35	4		7,7	20						
	14,31	40		7,32-35	20						
	15,8	41		9,15-18	26						
	15,12	15		9,19-23	48						
	17,3	3		9,22	83						
	17,9-26	34		10,13	53						
	17,20-22	10		10,16-17	12						
				10,31	66						

INDEX RERUM (*)

- ABDICATIO: Superioris Generalis, 142.
- ABNEGATIO SUIPSIUS: diligenter colenda, 43.
- ABSENTIA: novicii e domo noviciatus, 69.
- ADMINISTRATIO: propriorum bonorum, 27; bonorum Congregacionis, 100.
- ADMITTENDI: vocationes fovendae, 58; maxima cum cura dignoscendi, 59; declaratio ab ipsis facienda in actu admissionis, 59.
- ADUNATIO PLENARIA communitatis localis: quinam in ea habeant partem, 110; modus et tempus, 110; quae in ipsa sint tractanda, 110; in visitationibus convocanda est, 130.
- AEGROTI: humiliter infirmitatem sustineant, 45; testimonium ferant, 45; sacramentum unctionis opportune recipiant, 45; eos liberter visitemus et adiuvermus, 18.
- AMICITIA: ne laedatur, 16.
- AMOR: erga B. Mariam Virginem, 8, 36; inordinatus familiae et patriæ missionem impedit, 49.
- AUTORITAS: ordinate est exercenda, 95-96; in spiritu servitii, 30.
- BIBLIOTHECA: maxime colenda, 56.
- BONA patrimonialia: eorum renuntiatio perpetuo professis concedi potest, 26.
- temporalia: usus dependens, 26; luxus et cumulatio vitentur, 25; disponibilitas pro aliis, 25; renuntiatio, 27; administratio et usus, 27, 99; dominium radicale, 27; subsidium ad finem apostolicum, 99; ad necessitates Populi Dei, 25.

(*) Numeri marginales indicantur.

CAPITULUM Generale: suprema est auctoritas, 92, 153; totam Congregationem repreäsentat, 153; convocation, 142; ordinarium et extraordinarium, 154; negotia in eo tractanda, 155; electiones in ipso peragendae, 155; quinam in eo interesse debent, 156.

— **Provinciale:** natura et preparatio, 122; convocatur a superiore provinciali, ordinarium et extraordinarium, 123; assistentes ratione muneris, 124; ratione electionis, 124; quis ei praestet, 138, 8; negotia in eo tractanda, 125; eius decreta approbatione Superioris Generalis indigent, 126.

CARITAS: a Spiritu Sancto diffusa, 10; vitam nostram informat, 10; communionem aedificat, 10.

— **apostolica:** apprime necessaria, 40; eam exercere tenemur, 83.

— **fraterna:** in Eucharistia significatur et perficitur, 12; oratione nutritur, 12; exercitium omnium virtutum secum fert, 15.

CASTITAS: donum Dei, 20, 22; servitio Dei nos devovet, 20; communiam aedificat, 21; signum amoris et futuri saeculi, 20-21; ad ministerium apostolicum nos roborat, 21; eius obiectum, 22; ad eam tuendam media opportuna adhibeamus, 21-22.

CATHOLICITATIS sensus: missionario proprius, 48.

CHARISMA: et obiectum Congregationis, 2; a Superiore Generali illustratur, 138, 3.

CHRISTUS: cum eo configuramur, 41-42; eius redēptioni conformari conemur, 43; Christi mysterium hominibus communicamus, 46; ei toto corde novicii adhaereant, 61; eum pressius sequi debemus, 159.

CIBUS: in eo temperantiae formas eligamus, 43.

COLLABORATORES: eos nobiscum libenter associamus, 48; cum moriuntur, pro ipsis oramus, 19.

COMMUNICATIO BONORUM: 24-25, 98.

COMMUNITAS MISSIONARIA: in ea congregamur, 7; participatione fraterna exprimitur, 12; in ea aedificanda omnes collaborant, 16; in conditionibus Ecclesiae localis inseruntur, 14; diversimode eius missionem participamus, 13; suum ordinem internum statuere debet, 57; in Eucharistia perficitur, 12.

CONGREGATIO: a Spiritu Sancto suscitata, 84; eius fundatio et nomen, 1, 8; obiectum, 2, 4; communitas est charismatica simulque institutionalis, 86; eius membra, 7; eius missio, 46-47; universalis est, 11; institutum est vere et plene apostolicum, 5; Romano Pontifici subiicitur, 6; Ecclesiae servitio in communitate cum Episcopis dicata, 6.

CONSECRATIO: eam Deo per professionem votorum facimus, 70; 159.

CONSTITUTIO CONGREGATIONIS: quibus institutis organicis constat, 87; dividitur in provincias et delegationes, 88; domus, residencias et quasi-residentias, 89; missiones, 90; quomodo Congregatio regitur, 92; persona est iuridica, 100.

CONSTITUTIONES: obligatio, 158; ipsarum interpretatio authentica, 157; sine suffragio Capituli et approbatione S. Sedis ne mutentur, 157.

CONSULTORES delegationis: nominatio, 120.

— **generales:** 143; quot sunt, 145; qualitates, 144; eorum officia, 147; participatio in regimine, 148; votum deliberativum et consultivum, 148; tempus muneris, 145.

— **locales:** officia, 107.

— **missionis:** constitutio, 121.

— **provinciales:** eorum numerus, 116; eorum designatio, 116; eorum officium, 115; tempus muneris, 116.

CONVENTUS: superiorum vel omnium sodalium provinciae, 127.

CONVERSATIO FRATERNA: 54-55.

CORREPTIO FRATERNA: 54-55; officium superioris, 104, 4.

CULTURA: cum fratribus diversae culturae unitas servanda, 17; populorum aestimanda est, 48.

DEBITA: quinam de his respondeant, 101.

DECRETA: Capituli Generalis, 155; capituli provincialis, 126.

DEFUNCTI: suffragia et exsequiae pro ipsis celebranda, 19.

DELEGATI: ad Capitulum Generale, quot debent esse, 153; ad capitulo provinciale, 124.

DELEGATIO dependens: quae sit, 88; regimen, 119-120.

— **independens:** quae sit, 88; regimen, 118-120; peculiare ius circa designationem superiorum localium, 106.

DIACONI MISSIONARII: ad constitutionem Congregationis pertinent, 7; in diaconia verbi, liturgiae et caritatis inserviant, 81; sensum iustitiae excitent, 81.

DIALOGUS: in voluntate Dei quaerenda, 29; in processu discretionis vocationum, 59; medium in visitatione adhibendum, 131; ante dimissionem instituendus, 60.

DIES FESTI: in eis spiritui Ecclesiae orationem accommodemus, 35.

DIMITTENDI: post professionem religiosam, 60; caritate iuventur, 60.

DIRECTIO SPIRITALIS: efficax ad profectum spiritualem, 54; adiumentum pro missionariis instituendis, 73.

DISCIPLINAE: humanae et sacrae excolantur, 56; sacras praesertim scholastici diligenter colant, 72.

DISCORDIAE: inter fratres vitentur, 16.

DISPOSITIO ANIMI: ut mitti possimus quocumque terrarum, 32, 48.

DIVISIO GRATIARUM: eam ad utilitatem omnium accipiamus, 16.

DOMINIUM RADICALE bonorum: 27; renuntiari potest, 26.

DOMUS; constitutio, 89; erectio et suppressio, 91; persona est iuridica, 100; aliqua pars domus sodalibus tantum reservetur, 57.

DONATIONES: 150, 2.

ELECTIONES: in Capitulo Generali, 152, 6; in capitulo provinciali, 122, 3.

EMARGINATI: eorum cura pastoralis, 83.

ERECTIO: domorum, 91; provinciarum, 91.

EVANGELIUM: in eo sequela Christi nobis proponitur, 4; de fidelitate erga illud nos examinemus oportet, 37; illud omni creaturae praedicare debemus, 4, 6, 46.

EVANGELIZATIO: ad nostra officia ministerii pertinet, 46, 50.

EXAMEN DE FIDELITATE: 37.

EXERCITIA SPIRITALIA: singulis annis peragenda, 52.

FACTIONES POLITICAE: ne eis velint irretiri, 49.

FAMILIA CLARETIANA: cum nostra Congregatione et alii eam consti-tuunt, 7.

FIDELITAS VOCATIONI: 60, 67.

FIDES: in vita noviciorum, 62.

FIDUCIA: erga B. Virginem Mariam, 8; magnam in Deo habebunt noviciei, 63.

FORMATIO PERMANENS: 56.

FORMULA PROFESSIONIS: 159.

FRATRES MISSIONARII: ad constitutionem Congregationis pertinent, 7; charisma eorum, 79; sese constanter renovent spiritu, 80; participant in evangelizatione, 80; valor apostolicus eorum collaboracionis, 80.

GAUDIUM: in persecutionibus et in rebus adversis, 44.

GLORIA DEI: Congregationis obiectum, 2; eam noviciei prosequan-tur, 66.

GUBERNIUM GENERALE: constitutio, 143.

HABITUS: 57.

HOMINES: universos diligamus, 40; eos praesertim qui mala patiun-tur, 44.

HUMILITAS: fundamentum perfectionis, 41; quoad communitatem, 16; eius exercitium, 41; in vita probandorum, 64.

IMITATIO CHRISTI: castitatem ad imitationem Christi amplectimur, 20; paupertatem ex ea profitemur, 23; eam in oboedientia sequimur, 28.

INFIRMI: v. **aegroti**.

INFIRMITAS: eam sustineamus et testimonio vitae in ea praedicemus, 45.

INNOVATIO: domorum, 91; provinciarum, 91.

INSTITUTIO: periodus formationis, 72; totius Congregationis negotium est, 76; media, 73; instituendi zelo apostolico exardescant, 74; hominum temporumque cognitionem habeant, 74.

INSTITUTUM: nostrum est vere apostolicum, 5; quaenam sunt instituta maiora, 88.

INSTRUMENTA: debilia elegit Deus, 63; valida tamen ad regnum nuntiandum, 39; ad studia prosequenda, 56.

INTERPRETATIO: authentica Constitutionum, 157.

IUDICIA: de fratribus recta sint, 16.

LABOR: lex est communis, 26; paupertatem exprimit, 26; medium ad castitatem servandam, 22; missionarius, 48.

LAICI: eorum apostolatus, 78; cum nostra Congregatione donum apostolicum communicant, 7; cum ipsorum consociationibus collaboratio, 104, 6.

LECTIO SPIRITALIS: praesertim sacrorum librorum, 37.

LEGATA: 150,2.

LITURGIA horarum: presbyteri eam persolvunt, 84.

— temporum: ad quam accommodare debemus nostram pietatem, 35.

MAGISTER NOVICIORUM: qualitates requisitae, 68; designatio, 68 probandos instituit, 68.

MANSUETUDO: signum vocationis apostolicae, 42.

MARIA VIRGO: eius interventus in fundatione, 8; Patrona est nostrae Congregationis, 8; Filii eius Cordis sumus et nominamur, 1, 8; eam amore prosequi debemus, 8; etiam operibus cultus et pietatis, 36; in professione votorum nostrum exemplar fit, 20, 24, 28; in professione eiusdem Cordi nos tradimus, 71; eam Matrem et Magistrum novicii accipiant, 61; eam apostolorum formaticem formandi colant, 73.

MATURITAS: personalis in vocatione excolenda, 71; ea praeditus debet esse Magister noviciorum, 68.

MEDIA: omnia possibilia ad regnum Dei dilatandum, 6, 9; in mediis communicationis discretio servetur, 57.

MINISTERIUM VERBI: ad originem nostrae communitatis pertinet, 13; specialis nostra vocatio est, 46; in eo sumus adiutores Pastorum, 6; eo Christi mysterium hominibus communicamus, 46; merces pro eo, 26.

MISSIO CONGREGATIONIS: omnes sodales eam adimplamus, 7; oboedientia exprimitur, 29; in communitatibus credentium suscitandis vel confirmandis explicatur, 47; missionem communiatatis variis modis participamus, 13; media ad eam adimplendam, 48.

MISSIONARIUS CLARETIANUS: a Domino missus, 3; eius definitio, 9; ipsius disponibilitas, 32; eius officium est evangelizatio, 50.

